DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

FEBRE CONTINUA.

Auctore ————————

Si nominibus certis distinctis febris opus sit, Synochus mihi videtur nomen magis proprium febri quæ in hac regione apparet, quam Typhus, quia nomen prius in plurimis casibus aptius invenietur. Et equidem miror quam parum apte nomina variis febris formis fere dantur. Exempli gratia, nomen a CULLENO febri flavæ datum, Typhus Icterodes cum flavedine cutis. Typhus nomen non solum ineptum, sed etiam in praxin periculosam ducat, quia omnibus scriptoribus peritis videtur, Febris Flava natura sua ardentissima,

et ideoque, Typho contraria. Altera communis et non minus noxia inter medicos inveteravit consuetudo, nempe morbi nomine Typhi explicandi; tamen cum symptomata et rationem curandi inquiramus, morbum, quem illi descripserunt, multo alium quam istum cujus naturam ostendere proposuerant, inveniemus. Hac re quam attentissime considerata, pro certo ego habeo, unicam esse speciem febris continuæ, mutationes quidem ex tempestate et cœli tractu accipientis, (peste exclusa), quam adhuc parum intelligimus. Si optimis de variis febris speciebus scriptoribus patienter et integre animum quisque suum daret, tempestate et cœli tractu, tum circumstantiis variis, et ratione medendi etiam consideratis, censeo illum mihi consentire has febres natura sua similes fuisse nisi in iis rebus quas supra enumeravi.

Hujus rei exempla quodammodo dare possumus, considerando naturam febris, qua tres homines variorum corporis habitum et constitutionis affligerentur, in hac nostra patria, qui iisdem contagionis causis sint expositi. Imprimis, si validum et sanum ruris incolam febris capiat, ejus symptomata speciei inflammatoriæ magna

excitatione comitata apparebunt; secundo, si civis in mediocri vitæ statu febri affligatur, hanc synochum esse, nempe inflammatoriæ et postea typhoidæ naturæ videbimus. Et postremo, si operarius, in parte urbis magnæ et confertæ, perflatu carente vivens, in febrem incidat, hæc est febris nervosa et vera ipsius natura typhus. Et in his symptomata mutantur pro aëris statu aut tempestatis in quibus acciderint; sic in æstate excitatio major est, et morbus brevis currit; hyeme et vere symptomata leniora, sed duratio longior: multa, et varia inflammationis genera conjuncta cum febre inveniemus; et autumno putredinis symptomata præcipue valent.

Si in naturam febris putridæ aut illius in carceribus existentis inspiciamus, videbimus, illam esse aut potius fuisse morbum ejus existentiam habentem, in omnibus iis locis immundis male ventilatis, et halitibus, qui ex morbidis et squalidis corporibus proveniunt, impletis. Nam ex quo mutationes in carceribus saluberrimæ ab illustrissimo Howardo propositæ effectæ erant, febres in carceribus videntur nihil ab aliis differre, nisi in varietatibus, ex causis antea memoratis. Item bene compertum est, cum ægri febre carce-

ris laborantes, in aërem liberam moveantur, morbus brevi mitiorem sibi induit formam. SYDENHAM dicit, " In superioribus obiter admonui e febribus nonnullas in malignarum classe vulgo reponi, cum indomita symptomatum sævitia, quæ huic opinioni patrocinari videtur, non a venenosa morbi indole, sed a therapeia perperam administrata proficiscatur."

Si varias disputationes de febre flava habitas perpendamus, hanc contagiosam esse videbimus, quæ ex seminibus febris hujus regione, in regionem calidam transferri possit, cum symptomatibus ab cœli tractu solummodo adsequentibus. Etiam scriptores, qui contagionem specifici generis esse asserunt, et ab India Orientali allatam, admittunt, eam advenas ex Europa corporis quique sane venerunt, præcipue corripuisse, et indigenas, fœminas teneras, et omnes constitutionem Tropicæ regionis habentes, aut in morbum non incidisse aut mitiorem ejus formam habuisse.

Mons. DESPORTES, cui videtur, morbum ex propria contagione oriri, concedit, " Cette maladie attaque très rarement les Créoles ou les sauvages habitans de l'isle; les Européens destinés à

vivre sous un climat plus tempéré, en sont, pour ainsi dire, les seules victimes." *

Etiam videmus cladem esse, quantum constitutio et corporis habitus appropinquant aut discrepant ab iis incolarum qui tropicas regiones habitant: exempli gratia, Hispani quam Galli,—Galli quam Anglici, minus gravantur. In tempestate calida symptomata graviora sunt, et morbus brevi cursum peragit; sed tempestate frigescente, morbus non solum mitior est, sed ægri, qui, æstu durante, in maximo periculo fuerant, ex inopinato meliores evadunt; præterea, si contagio hujus febris inferretur in plagam, ubi æstates ardentes, et hyemes frigidæ sint, inveniemus inter æstatem, morbum specie et sequelis æque formidolosum ac in Occidente Indica, sed hyeme veniente, transeuntem in synochum aut typhum regionem temperaturum; sic epidemica vel flava febris, in Gadibus, anno 1800–13, exeunte Octobre mutari, et constitutio morbi in mitiorem typum verti, cœpit †; apparet quoque febrem fla-

* Hist. des Malad. de St. Domingue.

† Sir James Fellows on the Fever of Andalusia, p. 49. and 281.

vam in America Boreale ortam, evanuisse hyeme incipiente. Nunc satis intelligitur flavedinem cutis et vomitionem atram, non esse necessaria ad flavam febrem efficiendam, quippe quæ sint pessimæ tantummodo formæ morbi symptomata.

Lemprierius, qui scripsit historiam utilissimam de tempestatibus insulæ Jamaicæ, et de morbis qui illic acciderunt ab anno 1792–7, clarissime probat, rationem febris flavæ, jam oblatam, justam esse; nam in illa insula varietates tempestatis tam multæ sunt, ut copia nobis plurima detur inveniendi, an morbus, de quo agimus, aliquid differret a communi febre, in nostra patria, existente, mutationibus exceptis, quæ in corpora Europæ incolarum in symptomatibus et periculis ejus ex vi tempestatis tropicæ regionis incidunt.

In campis et maritimis locis, temperatura ferventissimorum mensium ab 83, usque ad 92 gradum Fahr.: sed in montibus calor nunquam 70, et non raro 50, superavit. In iis locis insulæ, ubi temperies aëris moderata sit, incolæ rubram et sanam complexionem, cum magna musculorum vi, habent; at campestres pallidi, flaxidi et languidi, et si collati, valde imbelles sunt. Super montes flava febris nunquam fuit. Si Europæi

milites in insulam appulsi, in montibus locentur, sano corpore, æque ac in Britannia viventes, fruuntur; contra cum castra in campis fuerint, cursus lethalis morbi nimis intelligitur. Illi, qui montes colunt, descendentes in valles, morbo laborant, eodem modo quo Europæi, qui valles incolunt, et advenæ, qui cœli tractui assueti erant, migrantes in Europam, aut paululum temporis in montibus viventes, cum in campos reversi sint, ex morbo quantum Europæi, aut nuper advenientes, damnum sustinent. Hæ observationes etiam ad homines nigros pertinent. Operatio, constitutionem loco alicui assuefaciendi quæ febrem flavam vetat, pendet ex hominibus, uni vel pluribus febribus, super adventu eorum in tropicos, subjectis, a quibus debilitas generatur, et vi attenuante cœli tractûs fovetur.

Dum doctrinam magnam in Lemprieris libris concedo, me oportet addere, quod, ejus opinionem præcipue infelicem de febre flava, non contagiosa, puto, quia, quamvis mirum videatur, contraria ex ejus dictis probaretur, viz. Dicit, eodem tempore duas species febris in Jamaica, extitisse; altera flava, inter nuper advectos et Europæos sano corpore indutos, grassata est, et altera indigenas et

eos, constitutionis haud sanæ cœpit, etiam tum cum febris inter milites apparuit. Typhus uno eodemque tempore existebat; memorat statum primæ turmæ cohortis Hybernicæ, quæ naves ingressa est apud Spike Island; ante multam passa a febre in ista regione prævalente, et contagiosa, cujus semina inter milites retinebantur. Hic morbus in transitu renascebatur: cum in Jamaicam appulsi fuerint, eadem febris iterum oborta est, et quamvis multas notas typhi retinuit, tamen hæ, quibusdam symptomatibus febri tropicali propriis, conjunctæ erant: hæc cohors in Jamaicam anno 1796, ingressa est; ista pestis propagari menses octo contagione duravit.

Typhum a navibus usque ad littus contagione advectum, LEMPRIERE quoque concedit, et quibusdam casibus, speciem tropicalis febris contraxisse, et cum febris flava inter advenas valeret, indigenæ, et qui, cœli tractui assuefacti erant, plus more solito ex febre patiebantur; morbus etiam ab initio gradatim a navibus vagari apparuit, ita ut anno 1794, loci in montibus saluberrimi ab aliqua, febris existentes, formæ non vacui erant*.

* LEMPRIERE'S Practical Observations on the Climate, and Diseases of the Army in Jamaica, vol. i. & ii.

Etiam apparet, eos, qui ab omni infecta contagione in urbibus, ubi Febris grassabatur, sese separant, morbum effugere, sed, incauta communicatione, æque ac alii morbo corripiuntur; ita in Febre Flava quæ Calpem, in anno 1804, vastavit, observatum est, quod Judæos, quamvis illic valde numerosos, morbus haud universe corripuit, donec decima octava Septembris, dies Expiationi dicata, advenit, cum natio Judaica in synagogis conveniunt; epulum tabernaculi super diem 15 vel 16 Septembris accidit: antehac Judæi domi manserunt, et horum nullus, morbo prævalente, laborare dicebatur, usque ad epulum ante dictum: post hoc, pene statim, Judæos morbus invasit, et 700 aut 800 illorum mortui sunt.

Febres epidemicas non contagiosas esse, alioqui probare, et certe verisimilia conantur, ex eo, quod quibusdam tempestatibus supervenientibus, hi morbi decrescunt, aut evanescunt, tamen exquirendo, in hoc, nihil, quod legibus contagionis obstet, inveniemus. Certum est, pestem in iis regionibus, ubi indigenam esse dicatur, a quibusdam ventis aut aliis atmosphæricis causis modificari aut comprimi; in tempore SYDENHAM cum in Anglia furiose vagavit, vim tempestatis in

morbo comprimendo accurate describit: "Anno vero surgente ipsa pestis irrupit, magno symptomatum pathognomicorum numero stipata, carbunculis, viz. bubonibus, &c. Hæc in dies magis ac magis invalescens, circiter Æquinoctum Autumnale, ἀκμὴν attigit, quo jam instante unius septimanæ decursu octo plus minus hominum millia delevit; tametsi duo ad minimum civium trientes ob metum contagii se in rus, et urgente brumali frigore tantum non evanuit."

Idem variolæ objiciatur, contagiosa cujus natura nunquam adhuc dubitata fuit; tamen ventum *Harmattan* in toto, cursum variolæ inhibere, quamvis ars illam propagare tentata fuit, inveniemus *.

Febres, ex aliis causis, sine contagii auxilio oriri posse haud dubium est: autem materies contagiosa in ægro generata aliis postea ad morbum communicandum per se sufficit.

Aër vitiatus minus justo, aut multitudine spirantium inquinatus, munditiis vegetabilia et animalia effluvia putrescentia, Typhi non raro causæ extant. Huic similem spiraverunt Angli, qui tam miserrime carcere Calcuttæ perierunt, ubi

---

* Philosophical Transactions, No. lxxi.

ex centum quadraginta sex, tantum triginta tres superstites exierunt, quorum plurimos statim arripuit, abstulitque putrida Febris.

Citius autem Febris ab effluviis animalium putrescentium inducitur. Multa exempla extant, ubi e corporibus in prælio occisorum inhumatis ortum deduxerat. Febris jam fomata, contagio in corpore ægrotantis generato, propagatur, et sic Epedemica fit: A paucis autem hoc negatur.

SYMPTOMATA FEBRIS FLAVÆ.

Languor, et fere vertigo cum frigore, sed nunquam rigor, dolor violentus trans orbitas oculorum, cum difficultate palpebras levandi; his statim succedunt Febris ardens, calor auctus, pulsatio arteriarum violenta, præcipue carotidarum et temporalium, ruboris faciei, aëris captatio frigidi, lingua alba sed subflavida, postquam nausea cœpta fuerit; anxietas, calor ingens circum præcordia, inquietudo, respiratio laboriosa, urina colore alto et parca: hoc primum stadium est, horas 24, 36, 48, 60, durat, sed in quibusdam casibus, in paucis horis finem habet; et inflammatorium stadium vocatur. Secundum stadium cum symptomatibus præcedentibus, sed multo minoribus, in-

cipit; interdum cum quiete fallente, sed, si insomnum æger indicat, cum perturbatione; tunc oculi, collum et thorax flavedine tinguntur, calor subsidet, et interdum sensus frigoris adest, nausea augetur, pulsus languet, cutis fit madida et viscida, urina parca et subnigra, lingua aliquando arida et discolorata, in aliis madida et rimosa, sæpe delirium adest: hoc stadium interdum post paucas horas terminatur, interdum 12, 24, 36, 48, horas durat; sed raro longius. In stadio tertio aut ultimo Febris, pulsus fit debilis admodum, inæqualis et intermittens, interdum valde celer; vomitio frequens, cum nisu et sono in vomitione; quæ nunc vomitu ejiciuntur nigra sunt, lingua nigra, sudores frigidi et viscidi, oculi flavi et demersi, flavedo totius corporis, respiratio oppressa, subsultus tendinum, singultus, coma, et brevi mors.

Hunc cursum fere morbus peragit, cum naturæ soli relinquatus; ope tamen artis hæc symptomata aliquando mitigantur.

Auctores morbum in tria stadia dividunt, quia inter stadium inflammatorium et gangrænosum, spatium intermedium est; quod mortificationem præcedit; ut in aliis occasionibus observatur, et quod interdum temporis satis ad curationem efficiendam dat; quamvis aliquando duratio ejus

tam brevis est, ut æger statim ac stadium inflammatorium finitum sit, in vomitionem nigram irruat. Interdum in hoc morbi stadio symptomata tam mitia sunt, et æger adeo tranquillus, ut morbus finiri putetur; et omnes medendi rationes negligantur, aut non necessariæ putentur, donec tempestas appareat, quæ huic fatali quieti succedit. Prognosis fere infausta et incerta, nec aliud super hac re dici potest, nisi quod symptomata jam enumerata, vi eorum diminuta, prognosin faustam, sed si aucta malam dant.

DISSECTIO CORPORUM MORTUORUM.

Ventriculus et intestina parva materia nigra et fœtida onerantur, et sæpe simul inflata, inflammata et sphacelata inveniuntur; Hepar in casibus plurimis contractum, et in mole naturali multo minutum, flaccidum et subflavidum videtur, vesica fellea flaccida et cinerea: in iis casibus ubi vomitio nigra fuit, vesica fellea et ductus biliarii materia simili distenti inveniebantur: cerebri membranæ plus minusve inflammatione afficiebantur; vasæ Duræ et Piæ matris sanguine tumida visæ sunt, et haud raro extravasatio.

Opiniones variæ de ratione hunc morbum me-

dendi existunt; quidam regimen antiphlogisticum in gradu extremo, laudunt; alii contrariam rationem, et quidam usui hydrargyri, copiose dati, cum balneis calidis et frigidis, omnino confidunt.

Ex inflammatoria morbi natura, apparere opinor, regimen antiphlogisticum scite exhibitum eventus faustissimos promittere, et fortasse major contentionis pars quæ de beneficio sanguinis detractionis existebat, orta est, ex hoc, quod non symptomatibus in variis morbi stadiis satis curæ dederunt; quia sanguinis detractio, quamvis in primo stadio bona, mortem ægri in stadio intermedio vel ultimo maturabit. Ex determinatione sanguinis ad viscera et organa vitalia tam frequente in hoc morbo, detractio sanguinis localis videretur præcipue indicari: cum caput in initio afficiatur, ut fere accidit, sanguinis 10, aut 12 unc. ex arteria temporis detrahantur, plus minusve, secundum ægri constitutionem vel vim symptomatum; hoc modo caput levatur, et ad alias partes affectas medicus animum suum applicaret. Propter ventricul imagnam irritabilitatem, Emetica aut medicamenta nauseam facientia nunquam darentur; doses calomelanos cum opio largæ quamprimum exhiberentur, et repeterentur ut alvus libere et copiose sese dejiciat; ad hunc fi-

nem enemeta magnopere auxiliantur; vesicatoria, sinapismata aut fomentationes regioni ventriculi applicarentur: si vomitio sese ostendat, nostram præcipuam curam ea requiret; mistura efferves-cens cum tinctura opii ad hanc amovendam optime exhibetur. Ad operationem Hydrargyri adjuvandam sulphas magnesiæ cum aliis salibus neutralibus datur; quamvis solutio purgativa ab ægro rejiciatur, tamen frequenter daretur, ut sic quædam ejus pars intestina transeat et effectum præstet. Si determinatio sanguinis ad hepar, ventriculum, vel lienem videretur; ex iis partibus sanguinem, quantum possumus, detrahere niteremur cucurbitulis, et interdum hirudinibus, nam effectum desideratum nonnunquam reddunt. Si symptomata redeant, sanguinis evacuatio repetatur, et continuitur donec symptomata mitescunt: hic morbus vero ut Typhus tractaretur; sed efficaciter et graviter, secundum vim aut periculum symptomatum. Sanguinis missio generalis haud dubie sæpe necessaria erit: præsertim ubi pulsus validus et tensus est. Si intermissio ante diem tertium appareat, ægrum haud ullo modo negligere ob hoc debemus; quoniam fere hæ remissiones præmaturæ fallunt. Purgatio ad diem quartum aut quintum continuaretur; cum toni-

cas in medicinali et diætetica forma dare incipiamus, ut æger reficiatur et nec relabatur. Post primum stadium finitum sanguinis detractio fere inutilis est; tunc in purgationibus et aliis jam enumeratis nostræ spes restant. Denique, medicus nisi morbo incipiente vocatus, parum efficere potest, cum vomitio nigra aut singultus sese ostendant; si pulsu snon subsidat, æger haud relinquendus est, quoniam pauci post hæc symptomata ex morte effugerunt.

DE CONTAGIONE.

Nunc de contagione separatim loqui volo, non tantum in plagis calidis sed etiam in regionibus temperatis et frigidis; et sicut nulla facta tam potentia sunt, quam hæc, quæ posteritati ex scriptis demissa fuerunt. Pauca ex auctoribus gravissimis, quæ improbari non possunt, seligam, ad contagii existentiam ostendam; opinionem errore plenam advertam, de potentia contagionis, quæ nuper recepta et propagata fuit. Loci tres sequentes sine minima dubitatione probant, Febrem regionibus temperatis contagio imputatam esse.

" 4th, 5th, and 6th days of July were the assizes holden at Oxford, where was arraigned and condemed,

one ROWLAND JENKES, for his seditious tongue; at which time there arose amidst the people such a damp that almost all were smothered; here very few escaped that were not taken at that instant. The Jurors died presently; shortly after died Sir ROBERT BELL, Lord Chief-Baron; Sir ROBERT DE OLIE, Sir WILLIAM BABINGTON, Master WENMAN," &c. *

"There died in Oxford 300 persons; and sickened there, but died in other places, 200.

"At the Old Bailey Sessions, in April 1750, one Mr CLARKE was brought to his trial; and it being a case of great expectation, the court, and all the passages to it, were extremely crowded; the weather, too, was hotter than is usual at that time of the year.

"Many people who were in court at this time, were sensibly affected with a very noisome smell; and it appeared soon afterwards, upon inquiry ordered by the Court of Aldermen, that the whole prison of Newgate, and all the passages leading thence into the Court, were in a very filthy condition, and had long been so.

"What made these circumstances to be at all attended to was, that, within a week or ten days at most after the Session, many people who were present at Mr CLARKE's trial, were seized with a fever of the most malignant kind; and few who were seized recovered.

"The symptoms were much alike in all the patients; and, in less than six weeks time, the distemper entirely ceased.

"It was remarked by some, and I mention it because the same remark hath been formerly made, on a like oc-

* STOW's Annals of Elizabeth for 1577, p. 681,–2.

casion, that women were very little affected. I did not hear of more than one woman who took the fever in Court, though doubtless many women were there.

"It ought to be remembered, that, at the time this disaster happened, there was no sickness in the goal more than is common in such places; this circumstance, which distinguisheth this from most of the cases of the like kind which we have heard of, suggesteth a very proper caution, not to presume too far upon the health of the goal, barely because the goal fever is not among the prisoners.

"The persons of chief note who were in Court at this time, and died of the fever, were Sir SAMUEL PENNANT, Lord Mayor for that year; Sir THOMAS ALNEY, one of the Justices of the Common Pleas; CHARLES CLARKE, Esq. one of the Barons of the Exchequer; and Sir DANIEL LAMBERT, one of the Aldermen of London: of less note, a gentleman of the Bar; two or three students; one of the under-sheriffs; an officer of Lord Chief Justice LEE, who attended his Lordship in Court at that time; several of the Jury on the Middlesex side; and about forty other persons whom business or curiosity had brought thither." *

Observatu dignum est, quod judex primus et registrarius, qui ad urbis præfecti dextram sedebant, et evaserunt; cum præfectus ipse cum reliquis in ordine ejus sedentibus, ad lævam, contagio corpiebantur; quod de Middlesex Juratorum leva aulæ justicariæ, multis perierunt; dum Lon-

* FOSTER's Crown Cases, p. 74.

dini juratores, contra eos positi, nullum malum receperunt. Hoc omne malum, ex fenestra iis male passis opposita, ortum est, nam ab ea ventus contagionem inter eos in cursu ejus sedentes advexit.

"A parcel of old tents were sent on board the same bilanders with the men, were used by them for bedding. These tents, in order to be refitted, were put into the hands of a tradesman at Ghent, who, having employed twenty-three Flemish journeymen about the work, lost seventeen of them by the distemper, though they had no other communication with the infected." *

Homines jam notati Febre laborabant.

Casus sequens clare naturam Febris Flavæ contagiosam monstrat; ex Doctore LIND, habitur.

"A gentleman dying at Barbadoes, of a Yellow Fever, his wearing-apparel and linen, packed up in a chest, were sent to his friends at Philadelphia, where, upon opening the chest, the family were taken ill; and the clothes being unluckily hung abroad to be aired, they presently diffused the contagion of the Yellow Fever over the whole town, by which 200 persons died."

Plurimi alii casus his addi possent; sed hos jam enumeratos, diversas modificationes Febris

---

* PRINGLE on the Campaign in Germany, new edit. p. 26,-7.

ante memoratas contagiosas esse, et hanc contagionem in fomite retentam valde potentem esse, ostendere, sufficere puto. Nunc in validitatem opinionis, in publicatione universe lecta, et merito celebrata, contenta, inspiciamus; ad *Edinburgh Review* alludo, qui, in capite lucubrato, super recentem Epidemicam, collecto, ex diversis libris celebribus, qui de ea publicati sunt, dicit,—

"When mattrasses, blankets, linen, clothes, or furniture, are imbued with contagious matter, actual contact with these substances is necessary to produce infection." —For March 1819, page 433.

Quod hoc non ita est, in pluribus casibus, negare non conor; sed hanc regulam, quasdam magnas utiles conditiones, generalem fieri, postulare, ostendere posse puto, in primis et secundis casibus jam dictis, ubi Febris a captivis communicata fuit; inter eos et quosdam horum, qui contagium reciperunt, nulla contactus copia fuit; et in loco ultimo memorato maxime concipere difficile est quomodo contactus re ipsa, acciderit.

Supra dictis apparet, fomitem sine cum ea contactu infectionem communicare posse, et aërem indirectum flantem, cursum infectionis propellendo et dirigendo, aliquam vim habere, et homines in locis arctis et male ventilatis positos facillime contagionem accipere.

FINIS.